

fluxerunt CCCC circiter præcessit annis, ab Ægyptiis autem, ob Sarapidis, et Osiridis nomina, quæ vidimus a Plethone recensita. Osiris autem Chami dicitur filius fuisse. Qui multis seculis ante Mosem in Ægypto et natum, et Ægyptiis dogmatis imbutum, fuerat. Atque ita videtur, hæc Hierarchiarum sapientia, inde usque a Noe, perennis quædam fuisse philosophia. Quam non dedignabitur Peripatus, qui cœlorum motrices, ἀρχὰς, καὶ οὐσίας, Principatus et substantias, et tot quidem numero, quot orbes sunt cœlestes, non equidem ab aliis Græcis traditas admisit, sed ipse invexit. Quod si cœli, corpora sua sententia, natura æterna, motoribus intellectibus eguerunt, qui eos moverent, et per motum conservarent. Quid mirum si Chaldæi, elementis etiam, corporibus per partes corruptibilibus, Synocheas et contentores, et perfectores attribuerunt. Elementorum enim natura, cœlis longe imperfectior, multo magis quam cœli, incorporeis egent conservatoribus. In mundo autem, sua etiam sententia, nihil esse debet imperfectum, elementa ergo suos etiam habent et contentores et conservatores. Quos quia eis Aristoteles non attribuit, magis egentibus, hac parte, sua philosophia, manca esse, recta ratione dici debet. Quibus si nomina Chaldæi dederunt, ipse cœlestibus non dedit, nihil damni ob id in illorum infertur philosophiam, imo sua, hac etiam parte, quia nomina pronunciare nescietit, balba est reputanda.

*FINIS DECIMISEPTIMI LIBRI.*